

rio, monasticen amplexus sit, in eaque pie defunctus vitam studiumque suum sancte consummarit.

Haymo Bedara fere in compendium redigit, ac pene ad verbum transcribit Cassiodorum. Obiit anno 833.

S. Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus, anno 1081.

Rupertus abbas Tuitiensis Canticum explicuit de B. Virgine, anno 1119.

S. Bernardus pie et eleganter explicat Canticum; sed morte preventus, illud non absolvit; unde ei successit Gilbertus abbas, qui opus prosecutus est. Floruit anno 1130.

Richardus de S. Victore, S. Bernardo coævus et amicissimus, paucas Cantici sententias exponit.

Inter opera S. Thomæ Aquinatis exstat commentarius in Canticum. Dubitant tamen viri docti an hic commentarius sit ipsius, quia stylum ejus non redolet, atque ex Cassiodoro et Beda videtur transumptus. Idem plane ad verbum exstat apud Haymonem, qui 430 annis antecessit S. Thomam: quare Commentarius S. Thomæ, quem sub mortem dictavit monachis Fossæ novæ, juxta Romam, videtur fuisse alius ab hoc. Quocirca diversus plane ab hoc Commentarius in Canticum nomine S. Thomæ prodiit seorsim impressus a Petro Gualtero anno Domini 1543, soletque juncti Commentario Cajetani in Proverbia et Ecclesiasten. Hic magis redolet stylum scholasticum S. Thomæ.

Guillelmus Parvus abbas Becensis, anno 1170. Honorius, Augustodunensis presbyter, anno 1220.

Hailgrinius, Cardinalis Sabinensis, anno 1233. Ex variis S. Ambrosii locis Commentarium

tegrum in Cantica collegit Antonius Demochares. Exstat in fine tom. V S. Ambrosii.

## RECENTIORES.

Nicolaus Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Jacobus Jansonius, Joannes Picus Carthusianus, Placidus Nigidius, Alfonsus ab Orozco, Tuccius, Hieronymus Almonacrius, et plures alii, quos Romæ reperi. Ceteris eminent Franc. Titelmannus, Luisius Legionensis, Cosmas Damianus Ortolanus, Philippi II Hispaniarum regis theologus, qui paraphrasin habet luculentam et succulentam; Joannes a Jesu Carmelitanus, nostri Gaspar Sanchez et Ludovicus de Ponte. Novissime et exactissime noster Martinus Delrio, Michael Gislerius et Ludovicus Sotomajor; denique nuperime Joannes Malderus Episcopus Antuerpiensis, ac noster Luisius ab Alcazar in allusionibus ad Apocalysin toto lib. III. uterque succincte, sed erudite et nervose.

Ex his omnibus succum exprimam, et pollinem floremque decerpam. Literale e mystico discernam, indigesta digeram, confusa distribuam, et cuique quod suum est ordinate attribuiam; atque propria plura addam, memor semper solitæ reverentis et methodi.

Porro Joannes Gerson cancellarius Parisiensis Canticum exposuit de amore seraphico, quo amantia ardet erga Christum, anno Domini 1429, ac complevit die 9 Julii, et instar S. Thomæ post triduum, puta die 12 Julii, cum Commentario vitam finivit, anno ætatis 66, ut amorem Christi frueretur in celo, unde identidem repetens illud Cant. viii: « Fortis est ut mors dilectio, » illi immortuus est.

## PRIMUM DRAMA,

SIVE

## PRIMA PARS CANTICI

QUA DESCRIBITUR INFANTIA ECCLESIE

(QUÆ FUIT AB ORTU CHRISTI USQUE AD ASCENSIONEM IN CÆLUM),  
A CAP. I VERSU 1, USQUE AD CAP. II VERSUM 8.

## CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

*Sponsa ambit spirituale sponsi osculum, ubera, unguentum, oleum, cellaria. Mor, vers. 5, ait se formosam, sed nigran ab astu solis et persecutionis. Unde, vers. 7, quaerit locum sponsi, auditque ab eo ut abeat post greges et pastores. Unde, vers. 9, eam assimilat aquilæ, genas turturi, colum montibus. Denique, vers. 12, asserit nardum suum deesse odorem, presente sponso, quem comparat fasciculo myrrhæ et botro cypri, cum eoque spiritali laudis affectu dissuaviatur.*

1. Osculetur me osculo oris sui : quia meliora sunt ubera tua vino, 2. fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum : ideo adolescentulæ dilexerunt te. 3. Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua : exultabimus et letabimur in te, memores uberum tuorum super vinum : recti diligunt te. 4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. 5. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol : filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis : vineam meam non custodivi. 6. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. 7. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pascas hædos tuos juxta tabernacula pastorum. 8. Equitavi meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. 9. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia. 10. Murenulas aureas faciemus tibi, verniculatas argento. 11. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. 12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. 13. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. 14. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. 15. Ecce tu pulchra es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus : 16. tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra expressina.

VOX SPONSÆ.

1. OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI. — Invereconda videtur sponsa, quæ præter morem feminarum honestarum et verecundarum, prior ambit sponsum, ejusque spiritale osculum sine ulla præfatione illico possit; sed amore sancto ebria nescit erubescere : ubi enim amor, ibi non est timor vel pudor. « Præceptum amor, ait S. Bernardus, nec iudicium prestolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frenatur, nec rationi subijcitur. Rogo, supplico, flagito : Osculetur me osculo oris sui. »

VIL

Est tamen hic aliquis in sponsa pudor, dum non ad sponsum dirigit sermonem, ut dicitur: « Osculare; » sed alios quae intermedios alloquitur, dicens: « Osculetur me, » ut notat idem S. Bernardus. Sic Magdalena amore ebria, sine pudore, « importuna » irruit « convivio, » ait S. Ambrosius, sed « opportuna beneficio, » ut osculetur non os, sed pedes Christi. Hic autem sponsa non contenta osculo pedum, quod est servorum et subditorum, ambit osculum oris, quod est sponzarum et summe amantium, uti parentes osculantur filios, fratres se mutuo, amicus amicum. « O quanta vis amoris! exclamat S. Bernardus, *sermon. 7*, quante in spiritu libertatis fiducia! Quid manifestius, quod manifesta charitas foras mittit timorem? » Et S. Augustinus in *Manuali*, cap. xix: « Amor, inquit, dignitatis necius reverentiam nescit; » et cap. xx: « Anima amans fertur votis, trahitur desideris, dissimulat merita, modesta oculos claudit, aperit voluptati, » etc. Consonat quod de amore scribit D. Gregorius, lib. VI, epist. 24 ad Anastasium, ubi ostendit amorem et potestatem ex aequo presumere, ac cum auctoritate et imperio libere loqui. Et Chrysologus, *serm. 147*: « Amor, ait, ignorat iudicium, ratione caret, modum nescit, non accipit de impossibilitate solatium, non recipit de difficultate remedium. Amor nisi ad desiderata pervaserit, necat amantem. Amor quod amat non potest non videre. Hinc est quod omnes Sancti omnia, quae meruerant, parva duxerunt, si Dominum non viderent. Hinc est quod amor qui cupit Deum videre, etsi non habet iudicium, habet tamen studium pietatis. Unde et Moses audeat dicere Deo: Si inveni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam. » Adde, sponsa non prior ambit sponsum, sed excitata et evocata a sponso, ut patet ex eo quod subdit: « Mellora sunt ubera tua vino; » hec enim « ubera, » id est viscera misericordiae a sponso ostensa sponse, insanam evocant, imo audacem reddunt ad petendum osculum, quia mirificum illi amorem fiduciamque sponsi ingerunt. Nam, ut ait Christus, *Joan. vi. 44*: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum » per gratiam excitantem et vocantem, ut ex S. Augustino docet et definit Concilium Tridentinum, sess. VI.

OSCULETUR ME OSULO ORIS SUI. — Hebraea, *osculetur me ab osculis* (Vatablus *osculis*) oris sui. *Osculetur*, id est osculetur: Hebraei enim per futurum significant optativum, quo caret. Septuaginta, *osculetur me ab osculis* (Origenes, in interprete S. Hieronymo, habet *ab osculo*) oris sui; Arabice, *osculetur* (Syrus vertit in praeterito, *osculatus est*) me ex osculis oris sui. « Osculis » in plurali significat vehementer desiderium et amorem sponsi, ut ejus presentia satiari nequeat, eamque continuum exoptet. Nam, ut ait Poeta:

Verus amor null' in nobis habere modum;

et, ut ait S. Bernardus: « Modus amandi Deum, est amare sine modo. » Plurima Christi et Ecclesiae oscula fuisse recenset hic Tuedius. Sponsam personam sponsi, dicitur tantum, *osculetur*, quia cum nil nisi sponsum mente pertractet, nil quoque ab aliis mente pertractari opinatur. Unde actum exprimit, personam vero facit, utpote quam uti sibi, et ceteris notissimam, omniumque cogitationibus presentem aestimet, sicut Magdalena, *Joan. xi. 18*, rogata a Christo specie hortulanae apparente: « Mulier, quid ploras? quem quaeris? » respondit: « Domine, si tu sustulisti eum, » etc. : quem *eum?* utique Christum, qui uti est amor meus, imo mens mea et cor meum, sic et ceterorum esse censeo: nimirum ipsa tota plena Christo, nec se, nec ceteros de alio quam de Christo cogitare posse putabat.

#### PRIMUS SENSUS

#### TOTALIS ET ADEQUATUS,

#### De Christo et Ecclesia.

Est vox patriarcharum, ait S. Bernardus, ac Synagoga, ait S. Thomas, desiderantium adventum Christi, g. d. Quia Christus toties mihi adventum suum promisit per prophetas, ego per tria annorum millia avide et anxie eum expecto; veniat ergo ipse et osculetur me osculo oris sui, » ut carmen meam et os meum assumens per illud mihi loquatur, seque conjungat, ut qui olim aperuit ora prophetarum, nunc os suum aperiat. Audi Origenem: « Quosque sponsus meus misit oscula per Moysen, misit oscula per prophetas? Jam ipse cupio ora contingere, ipse veniat, ipse descendat. Oral igitur sponsi patrem, et dicit ad eum: Osculetur me osculo oris sui. Et quia talis est, ut compleatur per eam propheticum illud in quo dicitur: Adhuc te loquente, dicam, ecce adsum: sponsum, sponsi pater exaudivit, misit filium suum. Videns illa eum ejus deprecabatur adventum, orare destitit, et ad eum omnino loquitur: Quoniam bona ubera tua super vinum, et odor tuorum tororum super omnia aromata. » Sic quoque Theodoretus, Apollonius et Beda. Adit Theodoretus: « Cum igitur sponsi pudicitudinem, robur, divitias, regnum, quod in omni habet, vim ejus aeternam, incorruptibilem, nullam habituram finem intellexerit, cum videre concupiscit, et in complexum ipsius ruere, atque illi oscula dare spiritalia. » Adde, vox haec non tam est Synagoga quam Ecclesiae, quae post Christi incarnationem, dicit *osculetur*, id est *osculari* me pergit, et osculum hoc amoris sui semper in me adaequat. Unde hebraice est, *osculetur me osculo*.

Osculum hoc Christi *physicum*, est ipsa uno hypostatica, haec enim junxit carmen Verbo, hominem Deo, sicut per osculum sponsus sponse jungitur. Unde osculans, ait S. Bernardus, est Deus, osculatus est homo, osculum est utriusque uno,

per quam fit una utriusque persona, quae simul est Deus et homo: osculum enim castissimum est symbolum cognationis et affinitatis; unde apud omnes gentes parentes osculantur filios, fratres, cognatos, affines: quocirca Cato feminas sibi sanguine propinquas amore patrio osculabatur, ut sciret an vinum darent patrio osculabatur feminis hic ere vinum fas non erat; quod si bibissent, interperantes et impudice habebantur, ut multis exemplis ostendit Tiraquellus, leg. IX *Controv.* num. 206. Multo magis Deus osculans et visitans animam inspicit, an illa deliciis et vanitatibus redoleat, de hisque illam castigat, juxta illud: « Probasti cor meum, et visitasti nocte: igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas, » *Psalm. xvi. 3*.

Osculum vero *ethicam*, sive morale, est affectus et amor intimus, quo Christus Ecclesiae et animae fidei artissime conjungitur. Audi S. Bernardum hic, *serm. 2*, votum hoc osculi in sponsa pie et pathetice exponentem: « Quo mihi ora haec semivirba prophetarum? ipse potius speciosus forma praefiliis hominum, ipse me osculetur osculo oris sui. Non audio jam Moysen: impeditur siquidem lingua factus est mihi. Isaiae labia arida sunt: Jeremias nescit loqui, quia puer est, et propheta omnes cingens sunt. Ipse, ipse quem loquuntur, ipse loquatur: ipse me osculetur osculo oris sui. Non in eis jam, aut per eos loquatur mihi, quoniam tenebrosa aqua in nubibus aeris, sed ipse me osculetur osculo oris sui, ejus gratiosa presentia, et admiranda scientia doctrinae fiant in me fons aquae salientis in vitam aeternam. »

Nota, osculum symbolum est primo, reconciliationis, cum enim quis alium offendit, reconciliatur ei per osculum, sicut pater reconciliatus est filio prodigo, *Luc. xv. 20*; secundo, pacis et concordiae; tertio, salutationis et bonae appreciationis, unde Apostolus: « Salutate invicem in osculo sancto, » *II Cor. cap. xiii. 12*; quarto, amoris et intimae conjunctionis; unde divinus Hierotheus apud S. Dionysium, *De Divinis nominibus*, cap. iv, ait amorem habere vim jungendi, miscendi et uniendo: quod significatur per osculum.

Omnibus hisce de causis Ecclesia et anima fidelis possit osculum Christi, g. d. ait Cosmas Damianus: Quosque tandem irascere supplicibus tuis, optime generis nostri conditor, et pater Deus? quando iratus humani generis promissa tua responsi, et ne quidem efflagitari patiere? quem ad finem protulisti primum in hominem se contrahet, et in thesauris suis continebit benignitas tua? Nilne te occupatum a satana orbis imperium; nihil in servitium redacti filii; nihil peccandi, et vel in eos, qui semetipsos non peccaverunt, moriendi iudicia necessitas; nihil ad vitam data lex, nihil cedens in interitum; nihil data fides, piorum vota praesque movebunt? Justa est, fatemur, indignatio tua. Justa sunt, quae in nos exerces, iudicia; incredibilis namque primum tua fuit in ho-

minem benignitas, amplissimi decreti honores, et quae in eundem contulisti ingentia beneficia. Contra vero pro tanta tua benignitate incredibilis nostra erga te exstat impietas, pro amplissimis honoribus atroces injuriae, proque tam ingentibus beneficiis, quam nemo homo praestare possit, noxa gravissima. At jam per tria annorum millia ita tua in totum genus nostrum deservit, in filios, inquam, Aede, qui acerbum illius pomi esum, patrique praevocationem ignorantes, et quasi igni innocentes, sed ex patre nocentes lauti; idem potiore jure filii sunt tui, Tororum miserere, o Domine. Superexaltet ergo misericordia tua iudicium. Veniat Christus Aede, Abraham, Isaac, Jacobo, Mosi, ceterisque prophetis promissus, in dunt carmen nostram, ac per illam nobis osculum reconciliationis exhibeat: ipse enim est propitiator pro peccatis mundi, ipse pax et salus nostra, ipse amor, anima, habitus et vita nostra. « Spiritus oris nostri Christus Dominus, inquit Jeremias, conceptus est in peccatis nostris: cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus, » *Thren. iv. 20*. Illi ergo me quasi sponsum ab orbis initio pactam, tandem aliquando conjunge. Illius me amplexibus et oculis exple. Ipse me sacri oris sui altuatu explet, rosem ad divinum os suum me jungat ori. Mille mihi figat basia. Ipse pax nostra sit, qui pacem tuam tribuat et bonam voluntatem. Eo denique charitatis glutino me sibi adjungat et agglutinet, unus ut cum eo fiam spiritus, et unum corpus; nec jam duo simus, sed unus ex amplexibus exstet homo. Te igitur adventantem exspecto, o optatissime sponse mi, te brevi futurum prestolor, corpus amplectendi et osculandi a proubit et paranympsis nostris, quae major nobis spes fit, eo nobis nostrum glicet et inardescit desiderium, nostraque medendo egrescit animus. Desinae, oro, jam per legatos me alloqui, per internuntios confirmare; ipse veni, ipse coram loquere. Accipe meam, tuamque vicissim da fidem, tu me amplectere, tu me exosulare, tu qui solus potes presentissimam facere medicinam, tu, inquam, impotentis amantis miserum, nostro dolore precor ut medeare.

Idem fuit votum omnium prophetarum sponsum Christum, sponsaque ejus Ecclesiam summam desiderantium. Audiantur pauci et multis. See cap. ii, vers. 19: « Et sponsabo te mihi in sempiternum » et sponsabo te mihi in justitia et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus; et sponsabo te mihi in fide. » Similiter et per Jeremiam prophetam dicitur, cap. n. 2: « Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuae, quando secuta es me in deserto, in terra quae non seminatur. » Et per Isaiam, cap. lxi, 10, similiter vox Ecclesiae ait: Posuit mihi miram sicut sponse, et induit me vestimentis salutis: et indumento justitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsum ornatum monilibus suis. » Et per Zachariam, cap. ix, 9, hujuscemodi gloriam trepidanti Eccle-

La nuntiati dicendo : « Exsulta satis, filia Sion : ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator : ipse pauper, et ascendens super pullum filium asinae. » Ita Aponius citat verba prophetarum. Horum omnium vota ergo hic exprimit Salomon.

Symbolice notantur hic tres SS. Trinitatis personae : per osculetur Pater; per oris Filius, hic enim est os et verbum Patris; per osculo Spiritus Sanctus, hic enim est nexus, amor et quasi osculum, quo se osculantur Pater et Filius. Ita S. Bernardus, *serm. 7*, qui ait Ecclesiam hic petere osculum, id est Spiritum Sanctum. Postulant ergo Ecclesia et anima, ut tota SS. Trinitas ipsam osculetur, id est ipsi intime per affectum sese conjugat, ut ipsa fiat templum sanctum SS. Trinitatis, imo ut fiat unus cum ea spiritus. « Qui enim adheret Domino, unus spiritus est, » *I Corinth. vi, 17*. Osculum enim jungit os osculanti ori ejus quem osculatur, ut significet animam simili modo animo ipsius conjungi, ut ex duobus amantibus fiat quasi unus amans, una anima, unus spiritus. Sic Verbum osculaus nostram carnem et humanitatem, illi afflavit suum spiritum, suamque divinitatem, ut unus idemque esset Deus et homo, eo quod naturae divinae, humanitatis scilicet et deitas, in unam coirent Verbi personam.

Porro Chaldaeus per osculum accipit legem datam per Moysen : per hanc enim Deus despondit Israelae, eumque sibi alligavit et obligavit : « Benedictum, inquit, nomen Domini, qui dedit nobis legem per manum Moysi scribae magni, scriptam in duabus tabulis lapideis, et loquebatur nobis in facie ad faciem, sicut vir qui osculatur osculum suum. » Hic sensus licet judaicus subservit nobis, ad eumque hic alludit Salomon, imo eum quasi typicum praesupponit. Moses enim osculum doctrinae et legis divinae dans Israelae, typus fuit Christi osculantis osculo oris sui christianos, quos amantissime complexus, legem novam et doctrinam Evangelicam docuit, per eamque illos sibi devinxit et despondit. Unde per osculum Patres ermulii accipiunt doctrinam Christi, ut osculum enim sit quod oraculum. Ita Origenes, Philo Carthusius, Anselmus hic, et S. Hieronymus, *epist. 146 Damasum*, ac S. Gregorius, *XIX Moral. xxii*, qui addit ad osculum hoc alluisse S. Mattheum, *num de Christo ait cap. v, 2 et 3* : « Aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu, » etc. : « tunc, ait S. Gregorius, os suum aperuit qui prius apererat ora prophetarum. »

## SECUNDUS SENSUS

## LITTERALIS PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

Quae de Christo et Ecclesia jam dixi, animae sanctae tribui possunt, mutato tantum nomine Ecclesiae in nomen animae; quibus addo haec exponi posse animam primo, penitente; secundo, innocente

et justa; tertio, meditante et contemplando in Deum defixi; quarto, amante et exaltata

Quadrupliciter ergo hunc locum de anima exponas : primo, de penitente, q. d. Pater aeternus mihi animae peccatrici, quae cum graviter offendi, sed per ejus vocationem et gratiam jam penitenti, reconciliari dignetur, praebatque osculum pacis, quo omnem offensam abstergat, imo aboleat et deleat, meque sibi reconciliet, et pristinae amicitiae gratiaeque suae resitatur; sicut enim osculum est duorum orum et corporum, sic pax est duorum cordium aeterna conjunctio. Prior ergo Christus animam peccato sopitam gratia sua pulsans excitat, evocaturque dicens : « Surge qui dormis, et illuminabit te Christus, » *Ephes. v, 14*; sive : « Osculare me osculo oris tui, » juxta illud Psalmis, quod toties orat Ecclesia : « Convertere nos, Deus, salutaris noster, » *Psalm. LXXXIV, 5*; et illud Dei per prophetam Zachariam, *cap. 1, 3*, peccatores ad se evocantis : « Convertimini ad me, et converterat ad vos. » Sic Magdalena inferius evocata a Christo ad osculum accurrit : Ita Concilium Tridentinum, *sess. VI*. Porro desponsatio animae cum Deo fit per virtutes, praesertim fidem, penitentiam, castitatem, charitatem, juxta illud : « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, » *Rom. v, 5*, ubi fuse ostendi *II Corinth. XI*, ad illa : « Despondi vos uno viri virginem castam exhibere Christo. » Hinc S. Agnes : « Annulo, inquit, sui subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus, ut nullum praeter eum amatorem admittam; tanquam sponsam decoravit me corona; illi sum desponsata, cui angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur. Amo Christum, in cujus thalamum introibo, cujus mater virgo est, cujus pater feminam nescit, cujus mihi organa modalis vocibus cantant; quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum. » Ita ex S. Ambrosio, *serm. 90*, Ecclesia in officio ecclesiasticae S. Agnetis. Denique quanto studio et amore ad hoc reconciliationis osculum peccatores Deus invitet, graphice depingit S. Dionysius, *epist. ad Demophilum* : « Quid, inquit, quod delicis quoque resolutos, ac per id redire differentes benignissime tolerat, rationemque reddere per se ipse dignatur, imo et promissionibus relevat, blanditiisque demulcet. Cumque adhuc procul sint, quid ad se redeunt, laetus occurrit atque obvius fit, et totus tolos complexus osculatur, nec prioris illius versionis culpam, verum praesentis conversionis contentum et diem festum agit et convocat amicos. »

Secundo, purgati a peccato et justificati petunt osculum Christi, quo scilicet eis Christus Spiritum suum inhalat, ut eo a torpore et vetustate, velut aquila renouventur, et in Dei amore accendantur, sicut qui se mutuo afflant et inspirant. Alludit ad formationem corporis Adae ex limo terre, quae Deus quasi osculando, « inspiravit in faciem ejus spiritum vitae, et factus est homo in animam

viventem, » *Genes. II, 7*. Sicut enim anima, dum assumit et quasi osculatur corpus, ipsum exanimat et vivificat, sic Spiritus Sancti gratia osculans animam eam vivificat, imo deificat, facitque eam Dei filiam et haeredem. Ita S. Ambrosius, *lib. De Isaac et anima*, *cap. III* : « Petit, ait, sponsi osculum, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis. »

Hinc symbolice S. Bernardus per osculum accipit Spiritum Sanctum qui est osculum, id est amor Patris et Filii. Audi eum, *serm. 8* : « Petit osculum, id est Spiritum Sanctum invocatur, per quem accipit simul et sentit gustum, et gratiae condimentum. » Et paulo post initium sermonis : « Sufficit, ait, sponsa, si osculetur ab osculo sponsi, etiamsi non osculetur ab ore. Nec enim exiguum quid aut vile putat osculari ab osculo, quod non est aliud, nisi infundi Spiritu Sancto. » Dicit ergo sponsa : « Osculetur me osculo oris sui, » hoc est, Pater aeternus Verbi sui spiritu mihi ardentissime copuletur, ac me suae naturae efficiat arcana ista conjunctione consortem. Per gratiam enim finis divinae consortes naturae, ut ait S. Petrus, *epist. II, cap. 1, vers. 4*.

Tertio, orantes et contemplantes petunt et accipiunt osculum, id est illuminationem, impulsus et ardore divinos Spiritus Sancti. Unde S. Ambrosius, loco jam citato : « Osculum Verbi, inquit, est lumen cognitionis sacrae. » Et Nyssenus, *homil. 1* : « Quia verba, inquit, sponsi spiritus sunt et vita; quicumque autem conglutinatori spiritui, fit spiritus; et qui vitae conjungitur, transit a morte ad vitam : propterea spiritualis anima desiderat appropinquare fontem vitae, nempe ori sponsi, unde scaturientia verba vitae aeternae implent os ea atrahens. » S. Bernardus, *serm. 1* : « Cujus (Christi), inquit, utique sermo vivus et efficax osculum mihi est, non quidem conjunctio laborum, quae interdum pacem mentium animarum; sed plane infusio gaudiorum, revelatio secretorum, mira quaedam et quodammodo indiscreta commixtio superni luminis et illuminate mentis. Adhaerens quippe Deo, unus spiritus est. »

Quarto, amatae et toti amori divino vacantes petunt, et impetrant a Deo osculum ardentis et plene charitatis, de quo Nyssenus, *hom. 1* : « Sicut Moyses, inquit, qui dignus est habitus (Exodi XXXIII) cum Deo loqui facie ad faciem, ejusmodi osculorum majori tenebatur desiderio, rogans ut videret quem desiderabat, postquam ei toties Deus apparuisset, perinde ac si nunquam eum fuisset contemplatus. Ita ceteri omnes, quorum divinum desiderium inidebat imis penetralibus, nunquam suum stiterunt desiderium quidquid eis eveniebat divinitus, quo fruerentur eo qui desiderabatur, materiam arripientes et fomitem majoris desiderii. Quomodo etiam, quae nunc quoque Deo conjungitur anima, saturari non potest fructione, quo copiosius fructione impletur, eo vehementiori vigens desiderio, atque adeo

dicens : Osculetur me osculo oris sui. » Hinc S. Agnes post mortem gloriose appaens parentibus : « Nolite, ait, me legere; illi enim sum juncta in caelis, quem in terris posita, toto corde, toto spiritu, tota mentis devotione dilexi. » Repete hic cetera ejus verba superius alia de causa recitata.

Huc facit quod S. Bernardus, *serm. 3* et seq., distinguit triplex osculum primo, osculum petum, quo penitentes cum Magdalena osculantur duos Christi pedes, puta misericordiam et veritatem, ut per veritatem peccata penitentium condempnent, per misericordiam confidendo veniam sperent; secundo, osculum manus, quo iusti et proficientes osculantur manus Christi, dum ei bona virtutum opera afferunt, et vicissim ab eo dona gratiarum recipiunt; tertio, osculum oris, quo anima perfecta unum Deum sitiens, eique soli inherere gestiens dicit : « Osculetur me osculo oris sui, » id est, infundat mihi, inhaletque Spiritum Sanctum, ut tota uniar amori meo Christo. Ad hoc conatur viri religiosi et perfectionis studiosi, qui omnium rerum amorem a se abdicant, ut eum totum in Deum transferant, ut scilicet uni Deo vacent, eique se per tria paupertatis, castitatis et obedientiae vota despondant. Hinc B. Egidius, socius S. Francisci, rogatus, « quae esset perfectionis via? » respondit : « Una uni, » q. d. Perfecta erit anima, si una uni Deo totam se jungat et tradat.

Osculum hoc, inquit S. Bernardus, non est strepitus oris, sed jubitus cordis; non sonus labiorum, sed motus gaudiorum : idcirco non competit animae infantili, ac nuper ad Christum conversae, sed jam provecitae, et quae jam ad eandem perfectam, et nobiles pervenisset annos (meritorum, non temporum), facta est idonea celestis sponsi nuptiis. Haec enim sola potest dicere : « Osculetur me osculo oris sui, meliores namque sunt amores tui vino, » ut alii tradunt. Deinde quomodo ad oris osculum gradatim sit ascendendum, S. Bernardus ita docet : « Prosterne te prius ad oscula pedum, tuisque lacrymis illos riga, nec inde surgas, priusquam audias : Remittuntur tibi peccata tua; et deinde quantum profeceris in gratia, tantum in fiducia dilataberis. Ideo proficere poteris ad osculum manuum, cum ceperis jam strenue ac perseveranter agere in operibus omnium virtutum. Tum demum forsitan audebis ad ipsum os gloriae caput attollere (pavens ac eum tremore dico), non solum spectandum, sed etiam osculandum. Osculum ergo pedum, incipientium est; manuum, proficientium; oris, perfectorum. »

Denique tres Patres anonymi apud Theodoretum, et S. Ambrosius, *lib. De Sacramentis*, *cap. II*, censent hoc osculum esse reale, quod anima sancta expetit, dum cupit sumere Christum sacramentaliter in Eucharistia, ac ardentem ejus amplexus desiderat : « Anima, inquit, videt se ab omnibus esse mundatam peccatis, et dignam quae

Osculum Dei et oris sancti.

Osculum Dei et animae sanctae.

ad altare Christi possit accedere; quid est enim altare nisi forma corporis Christi? Videt sacramenta mirabilia, et ait: Osculetur me ab oculis oris sui, hoc est, osculum mihi Christus infingat. Quare? quia meliora tua ubera super vinum, hoc est, meliores sensus, meliora sacramenta tua super illud vinum, quod estis suavitatem habet, laetitiam habet, gratiam habet; tamen in illo laetitia secularis, in te autem jucunditas est spiritualis.» Hinc S. Agnes: «Jam corpus meum, inquit, corpori ejus sociatum est, et sanguis ejus ornavit genas meas: ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo.» Præclare S. Cyrillus, lib. XI in Joan. cap. xxvi et xxvii, explicans illud Christi ad Patrem de discipulis: «Ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati in unum.» Joan. xvii, 23, docet nos per assumptionem Eucharistie fieri unum cum Christo, et per Christum unum cum Deo. Unde hoc axioma dicit: «Nexus igitur unionis nostræ ad Deum Patrem, Christus est: nobis quidem ut homo, Deo autem Patri ut Deus naturaliter unitus.» Causam subjicit: «Non enim erat possibile corruptioni subjectam hominis naturam ad immortalitatem ascendere, nisi natura immortalis atque incommutabilis ad eam descendisset, ac communione participationeque sui a mortalitatis nostræ terminis ad suum bonum reformatos elevarer. Consummati ergo sumus, reductivæ ad unionem Dei Patris meditatione Salvatoris, id est Christi.» Unde concludit: «Mirari ergo debemus divine naturæ benignitatem, quæ creature, quæ sibi propria sunt, communicare dignetur.»

Porro per osculum hoc hauriunt animæ sanctæ miras celestis amoris consolationes, gustus et delicias, ut omnes terrenas voluptates fastidiant, dicantque cum Paulo, Philipp. cap. iii, 8: «Propter quem omnia detrimentum faci, et arbitror ut stercorea, ut Christum lucrificam;» quare hoc divino nectare et ambrosia pasti, imo ebrii jam sibi videntur quasi esse in paradiso, ac cum angelis beatisque Deo frui. Unde dicunt: «Nostra conversatio,» nostra cogitatio, nostra mens, noster amor, nostræ deliciae, nostra vita «in celis est.» Et cum Psalle: «Silitiv in te anima mea, quam multiplex tibi caro mea,» Psal. lxxii, 2. Et: «Mhi autem adhaerere Deo bonum est,» Psal. lxxii, 28. Et: «Domine, quid mihi est in celo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum,» Psal. vers. 23. Hoc est quod animæ pie promittit Deus per Osce, cap. ii, 14: «Ecce ego lactabo eam, et succam eam in solitudinem: et loquar ad eor ejus.» Vide ibi dicta. Hinc quod Vulgata habet Ecceod. cap. xxxiii, 11: «Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum,» cum scilicet dedit Mosis legem promulgandam Hebraeis: Chaldeus hic, vers. 2, per osculum accipiens eandem legem oris Dei et

Mosis datam Hebraeis, sic verit, loquebatur nobiscum facie ad faciem, sicut vir qui osculatur socium suum.

Audi S. Gregorium hic: «Os sponsi inspiratio Christi: osculum oris, dulcis amor inspirationis. Dicit ergo sponsa desiderio estuans, et in amplexum sponsi sui inardescens: osculetur me osculo oris sui, ac si diceret: Ille quem super omnia, imo solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat; quia cum ejus osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, et in ejus similitudinem illico liquefacta transformor. Fastidit quippe sancta mens omnia que pro corpore sentit, et in illa spiritalia tota transmutari concupiscit; et dum ista obstrepunt, in illa fugit, sequæ abscondere, ne hæc sentiat, appetit; ideoque osculum sponsi querit, quia si ille gratissimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc vi suæ molestissime graveditis delenta, quomodo se ad illum conferat omnino non invenit; sed pius sponsus anxietatem ejus sentiens, amorem diligens, vocem exaudiens, osculum porrigit, et ne desiderio lassetur, gustu suæ suavitatis lenit, et dum suam presentiam exhibet, eam ad majus dilectionis osculum accendit.»

Omnia hæc Dei oscula maxime sentiunt, et quasi dissuaviendo gustant viri in sanctitate, oratione et contemplatione emittentes, ac subinde extatici, qui viros Dei influxus et illapsus suavissimos, sed humanis verbis inexplicabiles, nec nisi experto cognitos persentiscunt; quales sensit Paulus, cum raptus est in tertium caelum, ubi quasi in Christum transformatus dixit: «Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus,» Galat. cap. ii, 20. Id corporaliter per visum experta est S. Gertrudis, quæ ita de se narrat, lib. II Revelat. cap. xxi: «Quandam vice cum psalmodia tota intenderem, tu, Domine, dedisti decem vicibus et amplius dulcissimum osculum ori animæ meæ. O osculum longe exsuperans omnem aromatum fragrantiam, et omnem mellis dulcedinem! Alias sepe pensit Deum illabi in animam suam, sicut sol illabitur in aërem suo splendore, ex quo illapsa anima ejus tum miris gratiarum virtutibus, tum ineffabili serenitate et gaudio perfundeatur; nam intime penetrabat omnes animæ medullas, sensus et potentias.»

Mystici et contemplativi per osculum hoc accipiunt summam contemplationis gradum, quæ anima prius diu multumque in humilitate, oratione, meditatione, patientia, ceteri que virtutibus exercitata, a Deo elevatur ad immediatam et intimam sui contemplationem et unionem; quæ fit ut ipsa jam, nec in virtutibus, nec in consolationibus divinis, nec in discursibus vel phantasmatibus, nec in ulla re creata, sed immediate in solo Deo per contemplationem et amorem conquiescat, deatque: «In pace in idipsum dormiam, et requiescam,» Psal. v, 9. Hæc unio per illapsum divinum, ut docet S. Dionysius et ex eo

S. Bernardus, S. Bonaventura, Hugo, Richardus, Gerson, Laurentius Justinianus, Taulerus, Ruibrochius, Harpius, Suso et similes, qui de mystica theologia scriperunt.

Illapsus hic est, quo Deus per se illabitur intellectui et voluntati hominis, illicque intime pressens fit, se totum communicat, ostendit, et in ratione objecti immediate conjungit: intellectui quidem sub ratione immensæ lucis, sed non ita clara et aperta, qualis est in beatis; voluntati autem sub ratione summi boni, ita ut Deus voluntatem sibi ipsi suæque essentiae, tanquam summo bono intime astringat, adeo ut voluntas illius bonitatem immediate gustet et sentiat, illaque delectetur et fruatur. Tunc enim intellectus a Deo mira luce perfunditur et elevatur, ut ipsum altissimo modo, licet non intiendo (hoc enim proprium est beatis) cognoscat, sicutque illum voluntati presentem exhibeat sub specie summi boni summeque delectabilis; quo fit ut voluntas totaque anima impulsæ a Deo, in illud bonum ardentissime rapiatur, illud plene amplectatur, omnesque vires suas in illo amando, sibi que astringendo et osculando exhauriat; hinc fit ut anima subinde tunc non audiat, non sentiat, non videat, non cogitet, non amet aliud præter Deum, ab eoque tota suspensa pendeat velut in raptu et extasi: quæ est mystica animæ cum Deo desponsio et connubium per mutuum inhesionem et fruitionem, quo, ut ait S. Ambrosius, anima desponsata Deo, verbo innubit æternæ, ac Verbum illabitur animæ, non in apice, sed in ipso centro fundoque mentis, illudque sibi astringit. Hæc capere non valet nisi expertus. Expertus erat S. Bernardus qui proinde, serm. 31, ait sponsam Dei amorem fragrantem, non contentam esse aliis illuminationibus vel revelationibus, «nisi et speciali prerogativa intimis illum affectibus, atque ipsis medullis cordis oculis illapsum suscipiat, habeatque presto quam desiderat, non figuratum, sed infusum; non apparentem, sed efficientem;» et mox: «Non tamen adhuc illum dixerim apparere sicuti est, quamvis omnino non aliud hoc modo exhibeat, quam quod est;» et Richardus Victorinus, tractat. De Gradibus charit. violentæ: «Sepe, ait, sub hoc statu Dominus descendit de caelis, sepe visitat sedentem in tenebris et umbra mortis, sepe gloria Domini implet tabernaculum foederis; sic tamen presentiam suam exhibet, ut faciem suam minime ostendat; dulcorem suum infundit, sed decorem suum non ostendit; infundit suavitatem, sed non ostendit claritatem.» Particulatim vero B. Theresia, tract. De Perfectione, mansio. 7, cap. i et ii: «Anime, inquit, in illo cœtu manenti, visione intellectuali mysterium Sanctissime Trinitatis, omnesque tres personæ manifestantur; præcedit tamen hæc manifestatio suavisima quedam spiritus inflammatio, instar lucidissime ejusdam nubis, imque notitia quadam admirabili percipit, qua ratione tres personæ sint una

substantia, una potentia, una sapientia, et unus Deus, ita ut quod fide tenemus, anima quodammodo intuitivo cognoscat.»

Porro effectus hujus unionis sunt: *primus*, ardor amoris, ut anima amore aestuet, liqueat, et transformetur in Deum, summaque opacit illud videre, eoque frui facit ad faciem. *Secundus*, mirifica animæ pax, suavitas, laetitia, qua anima gustans, «quoniam suavis est Dominus,» ita ejus suavitatem inebriatur et absorbetur, ut cætera omnia contemnat et fastidiat, jamque sibi pene beata esse videatur, nec a beatis nisi corpore, velut pariete interjecto distare, juxta illud Isaie, cap. lvi, 14: «Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terre;» imo subinde vi ardentis spiritus corpus in sublime elevatur, et versus caelum ascendit, ut configit S. Magdalene, S. Francisco, S. Ignatio et aliis. *Tertius*, magnus virtutum et gratiarum affluxus, ut anima divinam similitudinem plane nanciscatur, ac fiat pulcherrima, imo deformis efficiatur, et quasi deificetur, Christoque conformetur; unde ejus pulchritudo in Canticis adeo a sponso celebratur: quocirca instar Christi ambit cruce et tormenta, gaudet opprobriis, in adversis exsultat, in persecutionibus gloriatur, uti faciebat S. Paulus. *Quartus*, est sublimis et perfecta divinorum mysteriorum cognitio, ipsiusque Dei illustis, quamvis in caligine, ut ait S. Dionysius, contemplatio proximæ accedens ad clarum et aspectabilem beatorum cognitionem, ad quam pertinet illud Isaie, cap. lviii, 10: «Orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tæe erunt sicut merities. Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam.» *Quintus*, talis anima Deum quasi semper habet in mente presentem, cum eoque versatur et colloquitur, etsi eum clare non videat, perinde ac quis colloquitur cum amico in tenebris et loco obscuro, quem audit, sed non videt.

### tertius Sensus

#### PRINCIPALIS,

#### De Christo et B. Virgine.

Quæ dicta sunt de anima justa, longe postiori jure competunt B. Virgini, quæ iustorum omnium fuit insigniana. Præter illa, B. Virgini soli osculum Dei quadruplex proprie competit.

*Primum* est osculum SS. Trinitatis, quo a æterno præ omnibus hominibus et angelis, Deus Pater illam sibi delegit in filiam, Filius in matrem, Spiritus Sanctus in sponsam, ut per eam ejusque filium fieret osculum, id est, decaecatio totius generis humani. Hæc de causa prima ipsa virginitalis voluit Deo nuncupavit, ut totam se in corpore et anima Deo dicaret, ac diceret: «Deficit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum,» Psal. lxxii, 26.

*Secundum* est osculum desiderii et suspitii, et

Quem-  
dat

Fit in  
sculo  
mellis.

Et per  
illapsum  
Dei



Christi, no, noster Gaspar Sanchez per *ubera* accipit labia, hisce enim quasi uberibus Christi effudit lac doctrinæ suæ, quo nos pascit. Unde quidam apud Origenem vertunt, *meliores sunt loquela tuae super vinum*. Ille sensus apte coheret præcedentibus, g. d. « Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera, » id est labia oris tui « vino. » Hinc et R. Saadias vertit, *melior est saliva tua vino*. Saliva enim Christi illuminavit cæcum, Joan. ix, 6.

*Secundo*, Nyssenæ per *ubera* accipit cor, quod circumdant teguntque ubera: in corde enim est sedes amoris, æque ac sapientiæ; unde Sapientis, Proc. xxii, 26: « Præbe, ait, fili mi, cor tuum mihi. » Audi Nyssenum, hom. 4: « Omnino autem, qui cor quidem occultam et arcanam divinitatis virtutem intelligit, non errabit; ubera autem divinæ virtutis pro nobis operationes merito possumus existimare, per quas uniuscujusque vitam tanquam nutritrix alit Deus, unicusque eorum qui accipiunt, convenientis largiens nutrimentum. » Sponsa ergo petens osculum, petit jungi cordi Christi, imo illud sibi dari postulat, ut totum illud totumque ejus amorem possideat; sicut S. Catharina Senensis a Christo petit sibi dari ejus cor, ac obtinuit, non ipsum cor Christi (quis enim hoc credat?) substantiale, sed effectum formatumque a Christo, suoque cordi conforme et simile.

*Tertio*, Titelmannus per *ubera* accipit pectus: in eo enim sunt ubera, que significant affectum amoris et beneficentiam Christi, g. d. ait Sanchez: « O dilecte mi, si inter ubera tua, id est, inter levam et dexteram dormire mihi permittitur, quod sponse licet, imo solenne est; aut haurire per legitimam oscula suavissimum halitum, qui ex uberibus, id est ex precordiis tuis expirat, qui generoso vino atque optimis unguentis longe suavior est: hæc mihi pro omnibus, imo et pro omnibus unguentis præsens erit medicina. »

Hinc Aponius per *duo ubera* symbolice accipit S. Joannem Baptistam, et S. Joannem Evangelistam qui quasi infans Christo in cœna super pectus ejus recubuit, indeque fluentia gratiarum quasi ex uberibus suxit. Audi Aponium: « Non erit inconveniens duo ubera Christi, Baptistam et Evangelistam duos Joannes intelligi proprie, qui Ecclesie post oscula sacramenti prædicti plenissima ubera sunt propinati. Cum alter eum solum peccatum mundi tollentem, agnoscere demonstrat Ecclesie, alter in principio Verbum Deum apud Deum patrem manentem; qui per immaculatam vitam ita in amore ejus quasi ubera pectori adheserunt, dum alter adhuc parvulus et lactenti Ecclesie verum hominem sub nomine immaculati Agni ostendit; alter a creandi effectu cum omnium rerum fabricatore in principio Verbum Deum demonstrat, per quem creata sunt universa. » Et Origenes, hom. 1: « Certum est, ait, quod Joannes in principali cordis Jesu, atque in æternis doctrinæ ejus sensibus requiescere dica-

tur in Evangelio, ibi requirens et perscrutans thesauros sapientiæ et scientiæ, qui reconditi erant in Christo Jesu. »

*Quarto*, Origenes, Beda, Justus, Cassiodorus, Philo Carpathius et Aponius per *duo ubera* accipiunt duo Testamenta, scilicet Vetus et Novum, sive doctrinam prophetarum et apostolorum: « Præque enim quasi duplex uber pascit fideles, pavitque olim Judæos; æque ac christianos. » Audi S. Ambrosium, serm. 1 in Psalm. cxviii: « Tanquam despiciens omnes jaudentes et delectationes suas, oculis libus cupiens inherere mandatis, ait: Quoniam optima præcepta Testamentorum tuorum, super omnem appetentiam carnis, et sæculi voluptatem: meminerat enim se in Eva ante sic lapsam. »

*Quinto*, noster Sanchez per *ubera* accipit viscera, ex quibus halitus spirando ducitur; unde Syrus pro *ubera* vertit, viscera. Cum vero, inquit Sanchez, sponsi halitus, cap. v, vers. 16, suavissimus dicatur, id enim valet illud: « Cultus illius suavissimus; » ideo tantopere sponsa expetere videtur osculum, quia per illud sponsi anhelum atque animam haurit, que vino optimisique unguentis longe et suavior. Quod cor uberum nomine significatur, vide cap. vi, ad illud: « Dabo tibi ubera mea. » Aut fortasse (quod magis puto verisimile) significat se valde cupere nuptiarum tempus, quia tunc ex more sponsa cubat in sponsi sinu, id est inter levam et dexteram, qui locus est uberum, et sinus vocatur. Sinu autem aut uberibus sponsi ubi somnus capiendus est a sponsa, nil ad sedandum angorem animi potentius. Fortasse *ubera* pro oculis sumuntur: neque hæc iocundi forma dura est, si in uberibus amorem intelligas: amor enim pro osculo adhibetur ea figura, qua res significata pro signo ponitur; quod in Scriptura sacra sæpe fit. Per *ubera* ergo sponsa pascit sibi afflari suavem et odoratum viscerum sponsi halitum: qua de causa olim viri et femine cultiores mastichen rodebant, ut halitum efflarent suavem et odoratum, teste Clemente Alexandrino, III *Pædag.* cap. iii. Huic sententiæ favet id quod sequitur: « Fragantia unguentis optimis. » Hæc Sanchez.

*Sexto* et genuine, *ubera* significant dulcissimum lactandi facultatem et vim: Christus enim dulcissima sua doctrina et gratia, quasi duobus uberibus dulcissime lactat fideles; ubera ergo Christi sunt ipsa ejus sapientia et beneficentia, ex quibus melliloquentia, et doctrinæ verborumque suavitas, quasi melleum lac profluit, quod omni vino voluptatum carnalium, utpote aeri et mordaci suavior est. Vinum enim nota et causa est libidinis furentis, juxta illud:

Ut Venus in vinis, ignis in igne furit.

At lac Christi jam dictum, fideles quasi modo genitos infantes, ut ait S. Petrus; ad plenam virtu-

sedes vitamque perfectam perducit, quia non scaturit ut vitis et vinum, ex imo terrenæ sapientiæ vel sæcularis literaturæ, sed coeliis ex alto depluit instar manne et roris matutini. Rursum, sicut ubera cor ambiunt, ex eoque quasi vim suam hauriunt, sic doctrina et gratia ex Christi corde et pectore procedunt, illudque nobis quasi propinant et exhibent. Insuper sicut ubera sunt sedes amorum et deliciarum, juxta illud Proc. v, 19: « Cerva charissima, et gratissimum hionitius; ubera ejus inebriant te in omni tempore, » sic eorumdem sedes est Christi pectus et cor, plenum omni consolatione et gratia. Sicut ergo in uberibus materni infantes omne habent suum nutrimentum et solatium, neque aliud extra ea querunt aut desiderant, ita sanctæ Ecclesie, in uberibus divinæ misericordie, pietatis et beneficentiæ, situm est omne bonum, omne nutrimentum, omne solatium. Nihil querit extra, reputat consolari præterquam in Deo, Meliora, inquit, sunt mihi tua ubera, quam vinum sapidissimum, quam omne quod in hoc mundo quamcumque potest afferre consolationem vel lætitiâ. Plus me delectat tua beneficentia, et quod ex te accipio spiritualis nutrimenti aut delectationis sanctæ, quam omnes hujus mundi corporales deliciae. Posteaquam ista semel suxit ubera, postquam semel lac suavissimum degustavi, quod ex illis sugitur et trahitur de oculis visceribus misericordie tuæ, non possum aliena gustare vel videre ubera; alienis consolationes abominor, renuit propterea consolari nisi in Deo anima mea. Ita Titelmannus et alii passim. Audi tres Patres anonymos apud Theodoretum: « Uberum mentionem facit, quia propinqua sunt cordi, in quo præcipua mentis est sedes, unde doctrinæ fontes emanant: sponsi igitur ubera uti bonorum fontes admiratur, ex quibus commode, tum infantes adhuc, tum etiam perfecti nutriuntur; eaque dicit esse meliora vino, quod divinæ Scripturæ testimonio cor hominis exillarat. Figurata enim vinum lætitiâ appellavit, ut cunctis humanis voluptatibus prestare declararet lætitiâ illam, que ex ipsis donis ad pios proficiunt. Quod si ubera mystice etiam vis intelligere, per ubera illa admiranda et vi præstantiora cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus omnes nos pietatis alumni nutriuntur. »

Quibus ultimis verbis per *ubera* accipiunt Christianiam, in qua sua carne, quasi cibo nos cibant, et suo sanguine quasi potu et lacte nos potant, lactat et inebriat Christus: hæc enim ubera sunt intrinseca Christi, cum cætera sint extrinseca. Unde S. Chrysostomus, homil. 60 ad Popul. et 83 in *Matth.*: « Quis, inquit, loquetur potentis Domini, auditas facit omnes laudes ejus? Quis pastor nunquam membris suis oves suas nutrit? Multæ matres post partum aliis nutritibus infantes dederunt; quod Ioseph facere noluit,

sed proprio corpore nos alit, et sibi conjungit, nosque conglutinat. » Et paucis interiectis: « Non videtis quanta infantes animi alacritate mamillas arripunt, qua pressione papillis infamant labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam, et ad hujus calicis spiritalium accedamus papillam: imo vero majore desiderio, quasi lactentes pueri gratiam Spiritus sugamus; unns sit nobis dolor, una mestitia, si hoc alimenter spirituali privamur. »

Rursum Christus lactat nos sua doctrina, sua gratia, suis miraculis, suis exemplis, sua passione, suis vulneribus. Unde et latus Christi in cruce a Longino lancea fuit apertum, ex eoque velut ex ubere manavit sanguis et aqua instar lactis, quo nos lactat, Joan. xix, 34.

Externa Christi ubera sunt apostoli et evangelistæ (unde Judas apostolus cognominatus est *Thadæus*, id est *uberalis*: *Thadæus* enim chaldaice significat *uber*; et *Lebbeus*, id est *carculum*: *Thadæus* enim est *cor*): de quibus sudi Justum Orgellitanum episcopum: « *Ubera Christi* apostolos et evangelistas non incongrue accipimus: per ipsos enim in fide nutritur, et spirituali alimento reficitur. Idcirco autem meliora vino probantur, quia evangelica doctrina eminentior quam lex olim data dignoscitur. Denique illic figura, hic veritas; illic tanquam austeritas vini, diligendum tactummodo proximum, et inimicum odendum ostendit, hic dulcedo gratiæ pro inimicis orandum, et eos, qui nos oderunt, admonet diligendos. » Et S. Gregorius: « Ista, inquit, sunt ubera, id est doctores, que in area pectoris fixa lacte eos potant, quia ipsa arcanis summæ contemplationis inhaerentes, subtili prædicatione nos nutriunt. » Hoc est quod canit Isaias, cap. lxxvi, 11: « Ut sugatis, et replerimini ab ubere consolationis ejus (Jerusalem, hoc est Christi et Ecclesie): ut mulgeatis, et deliciais affluatis ab omnimoda gloria ejus; » et mox: « Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. »

Audi Hortolanum hic sponse de sponsi uberibus sibi gratulantis voces patheticæ et sapienter experimentem: O ingentem tuam in me, sponse mi, benignitatem! Ecce ego illa, que quondam humilis et sordidata, in luctu et squalore jacens merebam, jam nunc gratuito lono, ex imis sordibus in regiam evecta dignitatem, nitida, compacta, diademate omnique ornata ac cultu regio ornata, summi regis soror et sponsa incedo, universi orbis miraculum, gratissimumque divinum omnium spectaculum. Tu ille unigenitus Dei optimi maximi Filius, Deus et ipse optimus maximus, quod unicum in sinu suo coelestis Patris fovet delictum, meæ naturæ factus participes, me humilem et abjectam ancillam tuam tuæ naturæ participem facere, tuis nuptiis nobilitare, in sinu tuo fovere, omnibus delictis oblectare, in sum-

Quarto, duo ubera, duo Testamenta.

Quinto.

Uberum deum suum halitum unguentis.

Vinum dulcissimum.

Deo ubera, duo desunt.

Ubera dei Christi, Evangelistæ.



mus, mre detectabatur S. Bernardus. Hinc in hymnum hunc plures sermones conscripsit: ideoque Canonici Spirenses, S. Bernardo Spira Eclesiam B. Virginis ingrediente, hymnum hunc decantantur, ipsomet S. Bernardo ter positus genibus succedente: « O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria! » In cuius rei memoriam hæc ipsa verba tribus æneis incisa laminis iisdem locis humi positæ etiamnum Spira visuntur.

## VERS. 2. FRAGRANTIA UNGUENTIS OPTIMIS.

Hebræa, *ad odorem unguentorum tuorum bonorum*, scilicet antonomasia, id est optimorum; Syrus, *in odorem suavitatum tuarum*. Unde nonnulli hæc referunt ad oleum quod sequitur, sicque cum eo nectunt, « ad, » id est propter, « odorem unguentorum tuorum, oleum effusum est nomen tuum. » Verum melius Noster *ad odorem exponit odorata, puta fragrantia*, referitur ad ubera, quæ præcesserunt. Solent enim femine nobiles et laute ad pectus et ubera gestare olfactoria et myrtocæ, id est capsulas muscum aliosque odores suaves in se continentes, quæ Psalm. XLV, 9, vocantur *domus eburnæ: domus enim Hebræis thecam quamlibet significat*.

Porro Septuaginta *optimorum unguentorum tuorum super omnia aromata*. Si enim unguenta sponsi sunt optima, ergo superant omnia unguenta et aromata. Alludit ad ritum priscorum, apud quos sponsi corona redimiti, et unguentis delibuti, nuptias inibant. Unde de Christo sponso dicitur, Psalm. XLV, 8 et 9: « Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis. » Huc facit illud Virgilii:

Nec mihi jam pluvii sudabant tempora myrrha,  
Pronata nec castos incendit pinus honores.

## PRIMUS SENSUS,

De Christo et Ecclesia.

Sensus ergo est, *g. d.* « Meliora sunt ubera tua vino, » ob fragrantiam, sive quia redolent et fragrant unguentis optimis. Sponsa enim novella uti necesse sponsi oscula, sic nec hæc uberum quam eminus perciperat; sed eorum fragrantia, id est fama, insecuta et illecta tam læc uberum quam osculum oris desiderat. Odo enim symbolum est fame, juxta illud, Ecd. vn, 2: « Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa; » et illud, II Cor. ii, 15: « Christi bonus odor sumus Deo, » id est, Christi famam prædicando ubique spargimus. Sic Magdalene illecta suavi fama, quæ spargebatur de sanctitate, suavitate et potestate Christi, ad osculum pedum ejus accurrit. Unde Chaldeus hæc mere suo Synagoga, id est Mosi et Judæis qui fuerit typus Ecclesie, id est Christi et christianorum, accommodans sic vertit, *a voce intrinsecorum tuorum et potentia tua, quæ fecisti populo tuo domus Israel, commisit nos omnes populi, quæ dicitur*

*runt famam potentia tua et signorum tonorum tuorum.*

Hinc rursus unguenta Christi sunt charismata Spiritus Sancti: hæc enim suavissimum de eo odorem et famam ubique spargebant. Unde Rupertus: « Optima unguenta, ait, sunt charismata hæc: sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, opera virtutum, prophetia, discretio spirituum, et cætera, quæ qui habent, boni odoris sunt, et suaviter fragrant sicut unguentum optimum. Unde Apostolus: Deo gratias, inquit, qui semper triumphat per nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo. » Nam de Christo ait S. Petrus, Actor. x, 38: « Unxit enim Deus Spiritu Sancto, et virtute, qui pertransiit benediciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. » Unde ejus « fama exit in universam regionem, » Luc. iv, 14; et, « divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis, » *ibid.* vers. 37.

Porro versionem Septuaginta quæ habet, *et odor unguentorum tuorum super omnia aromata, et qui eos sequitur Arabici, et odor suavitatum tuarum est præstantissimum omnium suavitatum*, sic exponunt Patres, *g. d.* Christi gratia et virtus, quæ unxit cum Patre, superat omnia dona, gratias et virtutes datas, non tantum Moysi et prophetis, sed et omnibus sanctis simul sumptis. Nam, ut de eo ait Habacuc, cap. iii, 3: « Operuit coelos virtus ejus, » id est celestis est, coelosque et angelos celestes transeendit: Christi enim virtus per se est ipsa virtus; Christi sapientia, justitia, charitas, etc., per se est ipsa sapientia, justitia, charitas, etc., ait Nyssenus. Sic et Origenes, Aponius et Theodoretus, quem audi: « Nota, inquit, sunt mihi unguenta, quæ Moses confecit, et oleum unctiois, et trypania compositionis; sed omnium illorum aromatum unguentum tuum est suavissimum. Unguentum hic vocat gratiam spiritaliam, quæ ille referens, ex plenitudine sua nobis omnibus imperavit: quamobrem clara voce beatus Paulus II Cor. ii, 15: Christi bonus, inquit, odor sumus Deo, in us qui salvi sunt, et in his qui pereunt: alius quidem odor mortis in mortem, alius autem odor vite in vitam. » Christus enim a primo instanti conceptionis suæ, infusam sibi a Deo accepit omnem gratiam et virtutem, idque in tanto gradu, perfectione et sublimitate, ut sit gratia capitis, quæ scilicet a Christo in omnes Sanctos, velut a capite in membra derivatur, juxta illud: « Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis, » Psalm. XLV, 8. In Christo enim habiavit non tantum similitudo, sed et « omnis plenitudo divinitatis, » ut ait Paulus, Coloss. ii, 9. Unde de « plenitudine ejus nos omnes accepimus, » Joan. i, 16.

## SECUNDUS SENSUS,

De Christo et anima sancta.

Christus sponsus ubera sua unguentis et cha-

risimilibus optimis fragrantia, communicatis sponse suæ, puta animæ sanctæ, juxta illud, I Cor. i, 30: « Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. » Unde S. Gregorius, qui per duo ubera accipit duplicem dilectionem Dei et proximi: « Hæc ubera, ait, unguentis optimis fragrant, quia odorem suavitatis per sapientiam verba, et sanctitatis exemplam secum portant. Quicumque enim sancta charitate per gratiam Dei se reficit, is spiritualium donorum et odorem et suavitatem sentit. Quorum bonorum ubertate proximos quoque ad interiora gustanda secum trahit, et ut in amore divinum convalescant, istis uberibus nutrit. » Hæc ergo sunt optima, respectu unguentorum carnalium; quia quos innungunt, vere reges ac sacerdotes efficiunt. Ceteri qui per ubera Christi accipiunt apostolos et doctores evangelicos, dicunt eos fragrantia gratiarum, virtutum sanctorum, operationum et miraculorum, indeque consequentis fame et gloriæ superare sanctos prophetas, patriarchas, sacerdotes et reges mosalicos. « Quia tantis, inquit Justus Origenianus, virtutibus, tantisque enitueri miraculis, ut odor justitiæ eorum longe lateque diffusus tunc intuentibus oblectaret, et usque huc omnes reficiat auditores, sicut unce ex ipsis pronuntiat dicens: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, » II Cor. ii, 14; et « Qui unxit nos Deus: qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris, » II Corinth. i, 21 et 22. Vide quæ utrobique annotavit.

Denique S. Bernardus, *serm. 10 et seq.*, assignat tria mystica anime unguenta: *primum*, coarctationis; *secundum*, devotionis; *tertium*, pietatis; quæ deinde singula fuse prosequitur: « *Primum*, inquit, est pinguetivum dolorem faciens; *secundum*, temperativum dolorem leuens; *tertium*, sanativum morbum expellens. » Triplici hoc unguento Magdalena unxit, tum pedes, tum caput Christi. Anima vero sancta maxime cum ungit unguento laudis et gratiarum actionis, quæ omni suam gratiam, omne meritum, omnem laudem et gloriam attribuit Christo. Item, *serm. 22*, per unguenta accipit quatuor virtutes cardinales, quæ in solo Christo vere suad, in philosophis vero fictæ et falsæ: « Quid vobis, ait, cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Ubiam, quæro, vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Ubi vera justitia, nisi de Christi misericordia? Ubi vera temperantia, nisi in Christi vita? Ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo, qui ejus doctrina imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli justii, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt; soli temperantes, qui ejus vitam imitari student; soli fortes, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisi-

tione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quam a Domino virtutum, cujus doctrina seminarium prudentiæ, cujus misericordia opus justitiæ, cujus vita speculum temperantiæ, cujus mors insigne est fortitudinis. »

## TERTIUS SENSUS,

De Christo et B. Virgine.

Rupertus, qui hæc uti et cætera omnia totius Cantici, proprie de B. Virgine accipit, asserit ubera charitatis gemine concessa B. Virgini fragrasse odorem suavissimum virtutum omnium, quas Spiritus Sanctus in alios disperit, sed omnes in Virgine collegit, idque tanta copia et plenitudine, ut ipsa sola is omnibus magis fragrant, quam cæteri sancti in unum congregati, juxta illud, Ecd. xxiv, 20: « Sicut cinamomum et balsamum aromatizantes odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitatem. » Coris, etc. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei fructus honoris et bonitatis. Ego mater pulcherræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me spes omnis vite et virtutis. Transiit ad me omnes qui concupiscit me, et a generationibus (id est fructibus gentis) meis implentur. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et faven. Memoria mea in generationibus sæculorum. » Vide ibi dicta.

## OLEUM EFFUSUM NOMEN TUUM.

Oleum non tantum ex olivis, sed ex quolibet flore, herba, aromate distillatur, quod totam rei substantiam, succum, pinguedinem et vim exsugit: unde a medicis vocatur *quinta essentia*, quæ si cum oleo aliorum aromatum solem commisceatur, unguentum facit præstant et odoratum. Hinc Septuaginta, Valabius et alii vertunt, *unguentum suave effusum*. Hebræum enim *שמן שכימן*, non tantum oleum, sed et unguentum significat, idque huic loco magis congruit. Explicat enim *rei fragrantia unguentis optimis, g. d.* Ubra dulcissima tue beneficiæ, o Christe, meliora sunt vino, id est omnibus mundi voluptatibus et illecebris, quia fragrant optimis unguentis, id est exspirant charismata optima, quæ in omnes effundis, adeo ut oleum, sive unguentum effusum vocari possit, hocque nomen sit tibi peculiare et proprium. Unde in Hebræo pulchra est paronomasia: *שמן שכימן* tuum est *שכימן*, olivæ nomen. Quocirca Hortolymus sic paraphrastice, sed genuine et sapienter exponit, *g. d.* Hisce celestibus unguentis tu a Spiritu Sancto perfusa totus, Christe, fragras, suavissime oles, atque admirandis dictis ac factis tuis tantum jam tibi nomen comparasti: sic tua incluta fama, quæ

Paraphrast.